

quod bis sternuere ut plurimum soleamus, & non semel aut saepius. Sed factum hoc in dubium vocat, minimum apud Italos suos, Septalius in b. l. p. 413. Adscribamus ejus verba: *Contrarium, inquit, in me ipso quotidiè experior, qui ferè quotidiè bis in sternutatione sum, & singula aggressione quinqvies saltem sternuto, & materiam vellicantem & flatum magno impetu excutio. Avia mea, quæ integrâ sanitate nonaginta quatuor annos vixit, nunquam in hac actione sternutandi erat, quin saltem vigesies id præstaret: unus ex servis meis cum in hoc munere est, adeò multis sternutamentis concutitur, ut conservi post unam aut alteram salutem illi auspiciatam, deridentes objiciant, ut aliquem conducat mercede, qui saepius illi salutem precetur.* Nec apud nos rari sunt sternutantes, qui vel excedunt vel non attingunt binarium. Ob quam causam non tam in nares quam in materiæ copiam aut inopiam, aut causam efficientem genuinam numerus sternutationis videtur conjiciendus esse; de quibus infra.

§. 12. De Capite igitur ac naribus etiam si satis constet, quæ actio sit sternutatio? Pro Capite dicit sententiam Hippocrates; *maximus* (optimò jure apud Senec. Epistol. 96.) *Medicorum & hujus scientiæ conditor.* Huic subscribit Philosophus *Problemat. section. XXXIII. 9.* Ex adversâ parte Galenus, non minoris in Republica Gratiolorum dignationis Vir, Thoracem in consortium assumit, qui per musculos suos concurrat ad sternutationem, potissimum à pulmone, attractò spiritu, gignendam. Vide inter alia *Cap. 4. libr. 2. de causis symptomatum.* Nacta etiam est hæc sententiâ quam plurimorum applausum: Meritò tamè si accuratius inspiciatur, alteri, quæ à laudato jam Medicinæ Parente fovetur, non tam opponi, quam conciliari debet.

§. 13. Fiet id, si salvâ capitis prærogativâ, causam sternutationis non primariò in thoracis musculis consistere, sed eos per consensum tantùm hâc commotione excitari, excitatosque caput juvare dicamus. Et cur non dicamus? Sic enim Germanorum Galenus B. Sennertus libr. 2. *Instit. Medicar. part. 3. sect. 1. cap. 8. Præter cerebri motum, inquit, secundariò etiam thoracis motus concurrat, qui cerebri motum adjuvat.*

§. 14. Ad-

Causa Efficiens.